



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

165. De clausula literarum dispensationum Sacrae Pœnitentiariæ, nempe
Gratis ubique. Ex part. 8. tractat. 3. res. 111.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

dispensat. 10. §. de dispensatione: qui etiam sententiam Henriquez probabilem putat, Sed ut verum fateatur, ut plurimum Doctores illam non approbant.

RESOL. CLXIV.

De clausula dispensationum, dummodo impedimentum inde proveniens occultum sit.

Et notatur, & explanatur illa, que in litteris Pœnitentiariæ aliquando apponuntur, ut coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris consensus nullitate. Ex p. 8. 11. 3. Ref. 110.

§. 1. **E**X doctrina multorum Doctorem hoc dubium examinat Lezana in tom. 4. verb. littere Apostolice, num. 28. vbi sic ait. Circa particulam illam in forma dispensationis matrimonij, scilicet, dummodo impedimentum inde proveniens occultum sit; notandum, hic occultum sumi, ut distinguitur contra publicum. Quare licet ab aliquibus tale impedimentum sciatur, ac proinde probari possit, dicitur occultum; & tunc solum non dicitur occultum, sed publicum, quando est publicum non solum in civitate, sed etiam in maiori parte vicinæ; Collegij, Monasterij, vel Parochiæ, dummodo saltem decem personæ inveniatur in quavis dictarum communitatum, in quibus id publicum est. Ita Sanchez supra, num. 55. Filliucius supra, num. 360. Bonacina supra, num. 7. post Salas, Reginaldum, & Suarez, quos refert. Dicitur adhuc hoc impedimentum occultum, si copula ipsa sit publica in ratione copulæ, non verò sit publica in ratione impedimenti, id est, si sciatur copula, ac non sciatur illud esse impedimentum dirimens matrimonium. Neque enim verè dicitur delictum publicum, si tantum actus illius materialiter sit publicus, nisi sit publicus formaliter, id est, quatenus est delictum. Quia qualitas adiuncta verbo, debet intelligi secundum qualitatem eius. *In delictis. §. 1. ff. de noxalibus.* Nauatrus in man. cap. 27. num. 55. Sanchez supra, n. 56. Bonacina supra. Si tamen hoc impedimentum iam sit deductum ad forum contentiosum, non dicitur occultum; quia iam spectat ad forum externum, in quo casu Papa non vult, ut dispensatio concedatur. Reginald. supra, num. 219. Portel supra, num. 13. & alij communiter. Quod intellige, nisi pœnitens deductus ad forum externum, fuit ibi absolutus, quia in tali casu crimen dicitur occultum. Suarez de censur. disp. 41. sect. 2. Sayr. in thesauro, tom. 1. l. 4. cap. 17. num. 23. Portel supra, numer. 14. Etiam si falsis testibus se defenderit; quia hoc non tollit quin crimen maneat occultum, cum non amiserit famam, per sententiam enim illam recuperavit. Sanchez supra, num. 57. Bonacina, & Portel supra. Dummodo contra ipsum non fuerit saltem semiplena probatio, quia crimen positum in foro externo cum semiplena probatione, etiam si absoluat, cum ex illo oriatur infamia, iam non potest dici occultum. Suarez supra, num. 6. Bonacina, & Portel supra, contra Sanchez etiam supra, num. 58. Placet etiam quòd idem Bonacina ibidem aduertit contra eundem Sanchez, quòd si delictum est plene, vel semiplene probatum etiam si nondum sit intimatum reo, censeri publicum, tunc quia tunc adest infamia ipsius, tum quia, quæ iudicialiter fiunt coram iudice personam publicam sustinente, publica dici debent, Huculq; Lezana.

2. Notandum hic obiter ex Sanchez, Portel in dubijs Regular. verb. Confessor aperiens litteras Pœnitentiariæ, num. 17. adnotare illa verba, quæ in litteris Pœnitentiariæ aliquando apponuntur, ut coniux impe-

Sup. hoc supra ex lata, & curiosa

dimenti ignarus certior fiat de prioris consensus nullitate, non esse de essentia dispensationis, sed inferuire quasi instructionem Confessarij, ut contractus matrimonij sequentis sit certior. Dat causam præcipuè, quia sæpius hæc frustrarentur dispensationes, si id esset necessarium. Sæpe enim contingit non posse detegi nullitatem abique periculo detegendi delictum, & maxime, si impedimentum sit ex parte femine, cuius delictum si viro detegatur, erit causa multorum iurgiorum, ac periculorum; & sic Doctores multi consulunt peti hanc dispensationem occultè, tacita nullitate prioris consensus. Sic explicat Sanchez. Ego credo illum sic clariùs exponendum, si matrimonium fuit nullum, quia femina, vbi gratia, ante matrimonium habuit copulam cum fratre præsentis mariti, tunc ut hoc matrimonium denud incurrat, non est manifestandum delictum huic viro putato marito, quod delictum fuit causa impedimenti. At credo omnino quòd dicendum est viro saltem remotè, & quasi conditionaliter, ut si fortè antea matrimonium fuerit nullum, denud consentiat. Si enim hoc saltem modo non consentiat denud, non iterabitur verè, neque contrahetur matrimonium, eo modo quo professus nulliter ob occultum impedimentum ignoratum, non ratificat professionem per quemcunque actum externum, nisi illi constet de impedimento, saltem in confuso, & dicat se denud consentire, saltem ad cautelam. Ita Portel, cui ego adhareo.

RESOL. CLXV.

De clausula litterarum dispensationum Sacre Pœnitentiariæ, nempe Gratis Vbiq; Ex part. 8. tr. 3. Ref. 111.

§. 1. **L**Oquens de hac clausula Salas de legibus, Dispensat. 20. sect. 10. §. 3. num. 99. sic ait. Difficultas est circa illam clausulam apponi solitam in litteris sacre Pœnitentiariæ, gratis vbiq; quæ denotat nihil pro his accipi posse, etiam per viam compensationis; sed eas gratis omnino expediri, quod ad eò verum est, ut neque summus Pœnitentiarius has litteras dans possit in signum gratitudinis aliquid etiam sponte datum recipere, ut testatur Nauat. lib. 4. conf. 50. de sponsal. in dispensationibus verò pro externo foro specialiter prohibetur, ut Ordinarius ulla possit munera recipere, dum exequitur dispensationes, sub pena excommunicationis lætentis.

2. Dubitari verò potest, an licita sit consuetudo, qua in aliquibus Diocessibus accipiunt isti Commissarij quantitatem aliquam pecuniæ pro labore quem verbeunt in receptione testium ad confirmandam veritatem precum, & in illa dispensatione expedienda.

3. Aliqui hanc consuetudinem damnant, quoniam hæc clausula vniuersaliter prohibet omnem præmij receptionem, & cuiuscumque iudici delegato prohibuit iure communi est, aliquid accipere præter eculenta, & poculenta gratis oblata; ita habetur cap. statutum. §. insuper de rescript. in 6.

4. Dico tamen primò, per se loquendo, peccatum mortale est, accipere pretium in hac clausula prohibuit, incurritque excommunicationem propter illud; quæ licet in principio solum ponatur verbum, monemus; tamen intentio præcipiendi lata excommunicatione declaratur.

5. Dico secundò, per accidens, vbi viget consuetudo accipiendi aliquid non esse peccatum, quia hæc clausula solum prohibet acceptationem pretij, non munusculum

munerum gratuitorum, item solum prohibet accipere stipendium, quod animum iudicis corrumpat, quale non est illud, quod consuetudine datur.

6. Deinde illa clausula generalis non derogat privata consuetudini sufficienter praescripta, textualiter ille in contrarium adductus solum loquitur de iudice delegato per litteras iustitiae ad licentiam inter partes agitandam: qualis non est iste executor. Haec omnia Salas.

7. Sed non deseram hic apponere ea, quae circa praesentem quaestionem late obseruauit Pater Petrus de Marimon. disputat. 48. sect. 2. num. 6. vbi sic ait.

8. Dico primo, certum videri; si dictus officialis expedit omnino dispensationem, & finita delegatione munera recipere non contrarietur huic clausulae, nec incurrere illius excommunicationem. Patet, quia cessat iam omnino rota prohibitionis causa, cum iam fuerit suo munere functus. Quod si spe dicti muneris, ac remunerationis post finitam dispensationem oblata, moueretur iudex ad minus bene munus suum obendum, illicita illi esset talis muneris ac praemij receptio, & censuram incurreret; quia mens Pontificis in praedicta prohibitione est, ne Ordinarius muneribus excecatus non recte fungatur suo officio. Vnde si munus illud finita executione dandum, illum etiam execat, & corrumpit, manifeste contrauenit videtur praedictae clausulae, & censura ligati. Fimo hoc verbis vltimis rescripti dispensationis, sic dicentibus: *Mandamus*, quatenus *deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut praemij etiam sponte oblata, a quo te omnino abstinere debere monemus*. Vbi ponderanda est illa particula, *deposita omni spe*. Voluntas autem, quod si sprete monitione nostra, eiusmodi aliquid muneris, aut praemij occasione dicta dispensationis exigere, aut oblatum recipere, temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras: quae verba, si recte ponderentur, comprehendunt quoque munus acceptum finita dispensatione, si spe illius allectus officialis suum obierit ministerium.

9. Dico secundo, per talem clausulam non prohiberi officiali Commisario, laboris impensis in expedienda dispensatione stipendium aliquod, si illud sit iure, vel consuetudine debitum. In hoc conuenio cum Sanchez, ob rationem dictam num. 5. Adde tamen, cum expeditio dispensationis communiter sit breuissima, & facillima, vix credi posse, vt iure aliquo, vel consuetudine sit pro ea obeunda designatum stipendium aliquod. Nam iudici delegato, qualis est ipse Officialis in Ordine ad dispensationis executionem, prohibetur stipendium quod sit alicuius pondus, vel momenti.

10. Dico tertio, prohiberi officiali praedicto, minus aliquod, quod sit alicuius momenti, sub excommunicationis poena. Patet ex verbis clausulae adductae num. 5. Tum etiam, quia, vt constat ex *capicitatione statutum*, iudici delegato, qualis est, in ea causa dispensationis ipse officialis, prohibetur aliquid recipere a partibus tanquam munus oblatum, etiam si in gratitudinis praemium sponte offeratur, aded vt teneatur ad restitutionem, non obstante quavis partium remissione.

11. Dico vltimo, praedicto officiali non esse prohibitum accipere esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus consumitur.

12. Moueos primo, quia id permittum est accipere iudici delegato, vt constat ex *cap. statutum, de rescriptis*, in 6. Secundo, eiusmodi esculentis, & poculentis solum exhiberi solent non ad corruppen-

dum iudicem, vt minus bene manus suam obeat, sed vt maiori diligentia, ac breuitate perficiat suam commissionem. Tertio, quia iam videtur vsus, & consuetudine receptum, vt in gratiam animi significationem praedicta esculentis, & poculentis, exhibeantur ad conciliandam beneuolentiam, & similiter acceduntur ob eundem finem, & ne ea offerentes aegre ferant, & indignentur, si non recipiantur. Vnde infero in tali rescripti clausula solum prohiberi muneris, praesertim a manu, vt pecuniam, equum, torquem, anulum, & his similia; & ab his merito dici, vt omnino abstineant. Et prohibitio cuiuscumque muneris, intelligenda est de hoc genere munerum a manu, quod solet esse maioris estimationis, pretij, ac valoris apud homines. Huc usque Perez. Sed aduersus eius doctrinam tenet, & adducit multas declarationes Cardinalium Garciae de benef. tom. 2. part. 8. cap. 1. numer. 108. & seq. omnino videndus.

RESOL. CLXVI.

An pro expediendis dispensationibus recipere quis aliquid possit? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 34.

§. 1. Negatiue respondendum est, & ita in sacra penitentiaria literis haec verba semper apponuntur. *Gratis vbiq;* verum hoc procedere putat Sanchez & Filhucius, quos citat & sequitur Homobon. de Bopis in exam. Eccles. part. 3. tract. 13. cap. 12. quast. 31. suspes. 4. quando munera exhibentur ante expeditionem, secus si peracta dispensatione aliquid gratitudinis gratia recipietur, quia in tali videtur cessare ratio prohibitionis. Imo non desinam hic adnotare Guttierrez de matrimon. cap. 128. num. 2. Homobonum vbi supra, & alios docere quod in supradictis verbis interdicti censetur ea tantum dona, quibus recipientis animus corrumpi potest, & a tramite iustitiae auelli; sed alij contrarium docent.

Sup. hoc in Res. praeterita, & in aliis eius primae annot.

RESOL. CLXVII.

An curialis, qui, vt facilius dispensationem impetret, mutat narrationis substantiam, incurrat excommunicationem? Ex part. 8. tr. 3. Ref. 68.

§. 1. Quoad hanc quaestionem, suppono tum Pottel respos. moral. tom. 2. cas. 49. num. 6. validum esse rescriptum, quoad illam partem, in qua non contingit subreptio, etiam si Curialis, vel sollicitator scienter subreptionem in ea parte commiserint, in scio illo, in cuius fauorem rescriptum obtinetur, qui verum Curiali proposuerat. Ratio est, quia subreptio contingit solum in vna rescripti parte separabili ab alia, vt supponitur; tum quia impetrans non dicitur obtinere rescriptum per dolum, vel malitiam. Tum quia cap. super literis, decretatur, dum subreptio contingit, inualidum esse rescriptum in poenam peruersitatis ipsius impetrantis. Hic autem non adest culpa, seu peruersitas ipsius impetrantis, sed in sollicitatore; sollicitator autem graues poenas incurrit, vel meretur subreptionem committendo.

2. Sed difficultas est, an talis sollicitator incurrat censuram; affirmatiue respondet Henriquez l. 12. cap. 3. numer. 7. vbi sic ait: Curialis, sollicitator, aut scriptor, qui vt facilius dispensationem impetret, mutat substantiam narrationis, aut commissionis, manet

IO =
I. I. N. A.
O. I. I. I. V. V.
E. I. I.